



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Cōmentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO IV.

De

Virtute & Vitio Morali.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,
Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

LUBBERTUS AILARDI,
Frisius Orientalis.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Septemb.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,
Typis Viduæ GEORGII RHETII.
Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO IV.

De
Virtute & Vitio Morali.



Ctus moralis virtuosus vel vitiosus, bonus vel malus est, *D.* 3. *t.* 7. Et medium ad finem Ethicæ ordinatum virtus est: *D.* 2. *t.* 8. De eâ ergò post doctrinam de fine in prima Ethicæ parte traditam *d.* 2. principaliter jam in posteriore agendum est, Cum tota Ethicæ doctrina de fine & mediis ad eum absolvatur, *d.* 1. *t.* 13.

2. *Virtutis vox vel* vim & decorem notat, ut in DEO, *Eph.* 1. *v.* 19. 2. *Pet.* 1. *v.* 8. *Vel* vim creaturæ, ut in Magnete virtus trahendi ferrum, vel effectum & operationem virtutis, *Psal.* 110. *v.* 3. *Marc.* 6. *v.* 2. *Vel* DEAM Romanam, sic, Spes, Opis, Virtus, Venus. *Plaut. Vel* opem & auxilium, Idem *mil. a.* 3. *s.* 1. *Vel* principium bonitatis in homine. Sic vel dispositionem ad virtutem notat, sic semina virtutis præclaris ingeniis inesse dicitur: *Vel* fortitudinem, qvæ sæpè virtus Latinis, Cæsar *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 1. *Vel* generaliter omnem virtutem, etiam infusam, intellectualem, spiritualem, sic virtus linguarum in Apostolis, fides, Spes, charitas, virtutes spirituales, Sapientia, Scientia, Ars, virtus intellectualis: *Vel* specialiter solam moralem. Sic hîc sumitur. Et *vel* à Viro, *vel* vigore & vigore, qvem facit, *vel* vi, aut viri statu *vel* artu, *vel* simili dicitur. Qvandoq; & habitus moralis, mores, ἀρετὴ Germ. Tugent à tůgen appellatur.

3. Essentia ejus *Definitione, Causis, Subjectis, Obj.* affe-

affectionibus & divisione explicari poteſt. *Definitio* eſt. *Virtus moralis eſt Habitus voluntatis aqviſitus electivus, mediocritatem in actibus ſecundùm rectam rationem ex judicio verè prudentis determinatam ſervare docens & faciens.*

4. *Genus eſt habitus voluntatis acqviſitus electivus. Habitus & generaliter*, qvia habetur à ſubjecto, & *ſpecialiter*, qvia qvalitas firmè radicata ſubjectum ad operandum facilitans, in hoc enim formale habitus. Esſeq; genus patet *1. Remotivè*, Qvia nullum aliud genus ei dari poteſt. *Non potentia*, hæc enim à naturâ congenita & immutabilis in ſubjecto eſt. *Nec affectus*, hic enim ad bonum & malum morale indifferens eſt, à naturâ oritur, ſubjecto congeneratur, & â primo ortu ineſt, ſæpè ſine conſilio & proæreſi excitatur. Qvæ omnia in virtute non. *Nec operatio*, Qvia hæc tranſit, at virtus permanet in ſubjecto, & durans qvid eſt. E. Habitus. Aliud enim dari neqvit. *2. Poſitivè*, Qvia definitio habitus ei competit, ut ante viſum. *Voluntatis*, qvia proximè in voluntate ſubjectatur, *t. 10.* Et ut habitus corporis, ut Sanitas, Pulchritudo, & intellectus, ut Scientia, Ars, excludantur. *Acqviſitus*, ut à connatis, ut peccatum originis in homine, notitia naturali, ut qvidam volunt. *V. de notit. c. 2.* Concreatis, ut imagine DEI in Adamo, infuſis, ut notitia linguarum in Apoſtolis, diſtinguatur. *Electivus*, ut propoſito judicio & conſilio proficiſcatur, non naturâ, caſu, temerè, impetu, aut violentiâ indita putetur. Vnde juſta agere ex actu uno, juſtè ex toto habitu judicatur, & hoc demùm virtutis cenſetur. *Naſcimur temperabiles, ſed fimus temperantes.* Qvidam à natura & temperamento virtutes eſſe dixerunt, ut *Galenus, alÿ* Scientias, Prudentias, propoſi-

tum,

tum, animum, bonam vitam, eam dixerunt. Omnia aliené & citra rem, ut *dec.3. d.3. t.6.* dictum.

5. *Cætera ad differentiam* pertinent & *à formâ ac normâ* virtutis sumuntur. *Forma in mediocritate, Norma in rectitudine prudentiæ statuitur. Mediocritas* à medio dicta, qvod participationis & negationis extremorum, & hoc *vel rei* ac æqvidistantiæ, *vel rationis* & prudentiæ faciunt, & in hoc virtus est. *Definiri potest medietas moralis circumstantiarum & reqvisitorum conditione statuta*, ut attentis illis nil in actu necessarij desit, aut superflui abundet. *Moralis*, qvia non naturalis, ut Cor medium Animalis, nec artificialis, ut Centrum circuli, nec casualis, ut lignum medium inter duo *Circumstantia* qvid, *d.3. t.7.* patuit. Esse in ea virtutis formam patet 1. *Qvia oppositum ejus*, recessus à medio ad excessum aut defectum est, ut Vitium. E. ejus formale in servando medio esse oportet. 2. *Qvia* convenientia rectæ rationis norma bonitatis in actu bono *d.3. t.7.* tale medium inter excessum & defectum postulat. E. & in virtute id esse debet, habitus enim bonus est. 3. *Qvia* omnis species virtutis tale medium inter extrema servat, ut inductio ostendit. E. & virtus in genere: & *Authores* passim id fatentur. *Aristoteles 2. Nicom. c.6. Plutarchus, Horatius, Alstedius, Aliiq́*, *ut t.8.* dictum. *Medium prudentiæ* eam esse patet, qvia non semper æq; ab extremis distat, sic liberalitas prodigalitati proprior est, qvàm avaritiæ, & rationem circumstantiarum servat, sic plus Milo edit, qvàm Seneca, & multas rationes in servando medio respicit, ut extrema, affectus, circumstantias, proportionem, &c. Maleq; *qvidam privationem extremorum*, qvæ negativum qvid, aut extremitatem aut summitatem,

 ut *Valla*,

ut *Valla*, *Vallesius*, *Grotius*, *Tempellus*, *aliiq;*, aut rectitudinem & ὀρθότητα, non μεσότητα formam ajunt, ut *Scotus*, *Scaliger Ex. 307. s. 3. Christ. Matthias l. 3. Eth. p. 3. Ex. 1. Meisnerus p. 1. Ph. S. s. 2. c. 2. qvæst. 2. Et Coron. d. sum. bo. qvæst. 4. 5. aliiq;*.

6. Hæc enim propriè *norma* est, ad qvam mediocritas exigenda. *Sed mediocritas* esse, distingui, & operari virtutis largitur. *Illa* id est, secundùm qvam mediocritas formari, dirigi, & ad qvam exanimari debet. *Mediocritas enim rectâ ratione definita in virtute est*, non alia, & hæc ὀρθότητα includit, non sejungit, & utrumq; in virtute est, mediocritas & rectitudo. *Hæc* etiam forma exemplaris & assistens, illa essentialis & informans est. Sic, cur actus virtuosus est? Qvia medium extremorum servat. Cur illud servat? Qvia ad rectam rationem formatus est. Medium rectæ rationis pro formâ est, eòq; rectitudinem includit & conjungit.

7. *Dices: 1. Medium* est negatio excessus aut defectus. Non ergò forma positivi. ℞. *Non nuda* negatio, sed interna perfectio inter extrema rectæ rationi ut normæ & mensuræ exactè respondens est, & sic forma est. *Qvædam negativè* sono enuntiantur, ut infinitum, increatum, immortale, *& positivè* sensu intelliguntur. *2. Virtus* potiùs summum & extremum qvid, qvàm medium est. ℞. *Ex Objecto*, gradu, perfectione, bonitate, summum & excellens, ex formali & ratione extremorum medium, non excedens aut deficiens qvid est. *3. Qvædam* virtus cum summa est, eò laudabilior est, ut Amor Dei, alia non habet duo opposita, sed unum, ut justitia injustitiam, veracitas, Timor iræ Dei, infamiæ defectum, non

exces-

excesſum habet. ℞. *Amor Dei* affectus, non virtus, & ſi hæc, Theologica, non moralis eſt, & duo extrema habet, ſuperſtitionem & odium. *Injuſtitia* rigiditatem & impunitatem complectitur, *Veracitatis* excesſus eſt verum ultra verum augere, & ſic falſum esſe, defectus, infra verum dicere. Iræ DEI timor nimius esſe poteſt, ut in deſperantibus, & prorſùs nullus, ut atheis & infidelibus. Similiter infamiæ metus, ut in puſillanimib. & impudentib. & fortitudo inter hæc medium ſervare docet. *V. d. 8. t. 5. ſeq.*

8. Semper virtus eſt *mediocritas & μεσότης*, etſi non ſemper medietas & μετριότης ſit, h. e. exactè & æqvaliter ab extremis diſtet. Eſt *medium rationis*, ad qvam ſe componit, *affectus*, qvem corrigit & revocat, *extremi*, qvod tollit & evellit, *Circumſtantiæ*, qvam attendit, *rectitudinis*, qvam inſerit, *& prudentiæ*, qvam ſervat. Non ex extremis componitur, ſed ea tollit, & inter ea medium figit. Eſt in medio ratione extremi, in ſummo, ratione gradus & faſtigii, ſemper una eſt ratione formalis & prudentiæ, varia ratione exiſtendi & circumſtantiæ. *4. Forma* præcedit formatum, ſed mediocritas potiùs ſeqvitur. ℞. *Secundùm nos* præcedit, & ideò virtus, qvia medium rectæ rationis ſervat & indit. *5. Ratio ejus*, cur habitus medium ſervans virtus ſit, qvod internam rectitudinem cum lege & ratione habeat. E. *hæc prius qvid medio*. E. Potius forma. ℞. *Non ſeqvitur*, etſi forma ad eam ut normam comparata esſe debeat. Et ſicut norma prius qvid esſe poteſt. *6. Mediocritas* reſpectivum qvid eſt. At virtus abſolutum. ℞. *Reſpectivum* rationis tantùm eſt, qvà ad rectam rationem ut normam reſpicit, non rei, qvaſi

totum

totum esse in isto respicere habeat, cum interna perfectio ex ratione constituta sit. *Plura d. 3. c. l. t. 9. 10. seq.*

9. *Ex normâ mediocritatem secundùm rectam rationem ex judicio verè prudentis determinatam servare dicitur. Dirigens & velut assistens forma* recta ratio est, unde mediocritas rationis, non rei, hîc reqviritur. Ingens enim varietas Subjectorum, Circumstantiarum, modorum est, ut voluntas ignoret, qvid, qvale, qvomodo, quantum eligendum, nisi ratio prudenter id præscripserit. *Recta* ratio imperans, dirigens, & præscribens est: *Voluntas &* virtus directa, parens, exeqvens, moderata, unde prudentia virtus dirigens. *Et virtus servare docet ac facit medium: subjectum virtuosum propriè servat. Verè prudens,* ne fictitiè, apparenter, aut nominetenùs tantùm talis sit, qvomodo vitia pro virtutibus arripiuntur, astutia pro prudentiâ, temeritas pro fortitudine; Impudentia pro magnanimitate, sed ex justo judicio ad prudentiam formato. *Qvidam* negant talem dirigentem, qvòd nec tales prudentes semper, nec dignosci aut consuli qveant, sæpè dissentiant & errent, nec ratio uspiam recta, nisi in Scripturâ & ab eâ rectificata, *ut Amesius L. 2. medull. c. 2. Waleus p. 91. 92. Ethic: Meisnerus c. l. q. 5. Daneus 1. Eth. Chri. c. 20.* de qvo *c. l. t. 14.* uberiùs amum. Falsa enim hæc, & insufficientia.

10. *Causa virtutis prima Deus, secunda* Natura, Homo, animus, moderatus amor sui & proximi, *v. d. 5. dec. 3. t. 9.* Et voluntas exeqvens ac eligens est, actusq; moralis elicitus & imperatus, *Finis* honestas, & ultimus civilis Felicitas, Deiq; gloria est. *Materialis causa in quâ subjectum est, partim inhæsionis*, ut homo, Mas & Fœmina, &

na, & animus hominis, *partim informationis*, ut principale, voluntas, & secundarium, appetitus sensitivus, qvà ratione regulabilis, eiq; subesse potest. *Circa qvam, Objectum* est, circa qvod regendum occupatur. *Internum* affectus humanus in se ad bonum & malum indifferens, virtute ut fune ad medium revocandus: *Externum*, materiæ virtutum, cibus, potus, honor, opes, terribile, sermo, voluptas, dolor, præmium, pœna. &c.

11. *Affectio virtutis est convenientia à posteriori ei competens, & eam denominans.* Vt *sinceritas*, quà sine dolo & hypocrisi est, *Constantia*, qvà in prosperis & adversis perdurat, non vacillat aut cadit, *Connexio*, qvà plerumq; juncta, & una alteram juvat & promovet, non qvod essentialiter nexæ, *Difficultas*, qvà operosum virtutis iter, & curà ac labore acqviritur, & *Efficacitas*, qvà præclara effecta de se fundit, ut actus decoros, felicitatem, famam, laudem, gloriam, intimam de honesto voluptatem, Deoq; similes efficit. Non autem inter affectiones ipsæ præcipuæ virtutis species numerandæ, ut justitia universalis, prudentia, fortitudo, Temperantia, ut *Amesius l. 2. medull. C. 2.* Cum affectio semper à specie rei, qvæ divisionem parit, diversa sit.

12. *Divisio virtutis in species est, qvà intellectualis & moralis est. Illa* habitus intellectum in vero enunciando, *hæc* voluntatem in bono morali operando perficiens est. Illa *directè* huc non pertinet, sed *indirectè*, qvà vocis virtus amplitudo exhauritur, & prudentiam continet, qvæ etiam ad Ethicam pertinet, ut post dicetur. *Moralis dirigens & directa est. Dirigens*, qvæ proximè & immediatè virtutem moralem dirigit, ut medium justè observet,

non ad extrema deflectat. *Estq́ prudentia*, qvæ intellectualis virtus dicitur, qvia in intellectu practico est, eumq́; perficit; *Moralis*, qvia ad voluntatem regendo eam extenditur, circa πρακτὰ versatur, ab bonum ordinatur, in directione morum occupatur, nec honestum sub *vero* tantùm, ut cognoscat, sed & *bono*, ut agere faciat, attendit. Etsi morum non elicitiva, eorum tamen directiva est, ut *Lessius l. 1. d. 5. & 5. c. 1.* & sic velut mista virtus, intellectum & voluntatem simul perficiens est, ut *Meisnerus* loqvitur *p. 3. Ph. S. s. 1. c. 7. q. 1.* In Ecclesiasticis *prudentia Ecclesiastica* eminet, ut sine eâ multi exorbitent, de qvo *Vedelius in prudentiâ Veterum* legatur.

13. *Directa, qvæ â prudentiâ in objecto dirigitur, &* secundùm ejus dictamen se & actus componit. Hæc *universalis*, qvæ circa leges & omnium virtutum exercitium obligat, ut justitia universalis, *& particularis* est, qvæ circa particulare objectum occupatur. Hæc *in primariâ specie* spectatur, qvæ plenus habitus, ut temperantia, fortitudo, modestia, liberalitas &c. *Et secundariâ ac analogicâ*, qvæ ad habitum dispositio & *semivirtus* est, ut Verecundia, Continentia, & in usu ac fructu exercentium, qvi amicitia est. *De qvibus in seqventibus* agendum.

14. *Ex gradibus virtus ordinaria est*, qvæ communiter in homine reperitur, *& extraordinaria*, qvæ singulariter in qvibusdam, ut Heroica, de qvâ d. 14. *Ex subjectis Christiana*, qvæ in Christiano, *& non Christiana*, qvæ in alio est, ut Gentili, Mahometano, Judæo. *Hæc an specie â priori differat, an gradu*, qværi solet? Hoc probabilius de morali virtute. Utriusq; enim forma interna eadem, Medium prudentiæ, Objectum, actus idem. *Assistens* for-

ma alia

ma alia in Chriſtiano, fides, undè Evangelicè ea Deo placet, cum in gentili tantùm legaliter placeat, ſed qvod accidentale, non esſentiale & ſpecificum diſcrimen importat. Niſi *ſpecie differre* latisſimè ſumas, aut virtutes prorſùs ſpirituales intelligas, ut, Fidem, Spem, Caritatem, religionem Theologicam, qvas à civilibus totâ ſpecie, objectis, formis, cauſis, actibus, differre certum eſt. *Sic fides* in Theologicis Virtus dicitur, ſed alterius generis & ſpeciei à fide Ethicâ, h. e. fidelitate, qvæ ad veracitatem pertinet, *d. 10. eſt.*

15. *Oppoſitum virtutis primarium Vitium, ſecundarium incontinentia eſt,* motus affectus ad malum, dolorem comitem trahens, & virtutis abuſus, qvi per accidens eſt, per ſe nemo virtute male uti poteſt. *V. Ariſtotel: 2. Ma. mor. c. 7. l. 1. Rhet. c. 9. Vitium à* vitando vel vi dictum, & de corpore ac animo uſurpatum, *de animo* hîc capitur, & malum, culpa, macula, labes, pravum, reatus, delictum, erratum, enormitas, &c. dicitur, etſi inter qvædam diſtinguunt, *habitus moralis electivus eſt, prava à mediocritate rationis excesſu aut defectu recedentia agere faciens. Habitus* analogicè, nam actibus acqviritur, difficulter excutitur, operandi facilitatem dat, delectationem trahit, & Ethicè materiale cum formali complectitur, actus malus, opus malum. *V. dec. 2. d. 3. t. 15.* Non rigidè, acſi in re formaliter *poſitivum* qvid esſet, ut bonitas eſt. Vel enim Dei, ſic Deus cauſa mali, qvod non, *Pſal. 5. v. 5. Pſal. 45. v. 8.* vel Sathanæ & hominis ſine Deo esſet, ſic illi potisſimum & reale Ens ſine Deo, h. e. independenter efficerent, qvod utrumq; non procedit, & abſurda *Theologica, Phyſica, Metaphyſica, & Ethica invehit. Electivus*, hîc enim volun-

voluntarium reqviritur. In peccato Theologico etiam involuntarium peccatum est. *V. d. Magic. d. 10. t. 36.* Sed hîc in Ethico & civili foro versamur.

16. *Divisio ejus ex virtute sumi potest, dirigens & directum, universale*, ut feritas, *& particulare*, ut timiditas, qvod excessus & defectus est, *plenum & semiplenum, ordinarium & extraordinarium esse* potest. *V. t. 13. Peculiater omissionis*, cum agendum omittitur, ut non parentes honorare, *& commissionis* dicitur, cum vetitum patratur, ut furari, mæchari. *Quod vel intrinsecè tale*, ut mæchari, *vel ratione legis*, ut in V. T. suillam comedere. De utroq; multa qværuntur, qvæ apud *Becanum, Valentiam, Tannerum, Lessium, aliosq́* videas. *V. inprimis Beca unum p. 2. T. 1. Th. Schol. tr. 2. C. 3. Conf. c. l. t. 21.* Item *in plenarium*, qvod consultò ac plenâ voluntate, ut dolo & culpâ latâ, *& semiplenum*, qvod inconsultè & non plenâ voluntate fit, ut fortuitò, *Deut. 19. v. 5.* Aut affectu vehementiore ac homine digno, ira, Zelo, non indigno, ut odio, invidiâ, ebrietate acqvisitâ. *Illud* excusationem, hoc aggravationem habet. *Cur autem uni virtuti duplex vitium opponatur, excessus & defectus*, Cum honestas virtutis unica sit, est, qvòd ista honestas *duplici debito* subster, benè agere, & non plus aut minus, qvàm benè agere, unde duplex vitiositas, excessus & defectus est. *Affectiones* ejus turpitudo, infamia, inhonestas, imparitas, & opponendi varietas sunt, *qvà* & virtuti *privativè, & contrariè*, & duplex uni virtuti, & alteri vitio absolutè ac comparatè opponi potest. *V. d. 3. t. 22. 23.*

Dec. 3. Miscell.

